

7889
1781 12 19

EX PRUDENTIA CIVILI
De

CURA ANNONÆ

PRÆSIDE

CHRISTIANO Köhrensens/

Phil. Pract. P.P. & Elect. Alumn.

Ephoro,

publice disputabit

M. AUGUSTUS MÜLLER,

Meurov. Sax.

Habeb. ad. d. XXX. Aprilis, clb L ccl.

In Auditorio Majori,

hor. matris.

WITTENBERGÆ,
Typis CHRISTIANI SCHROEDTERI, Acad. Typ.

CURA ANNONAE

PAROCHIA

CHRISTIANO SPECTABILISSIMO

PH. FROB. P. P. & ELEC. ALMAN.

PHOENIX

PHOENIX

M. AUGUSTINUS MULLERUS

M. AUGUSTINUS

PHOENIX

PHOENIX

PHOENIX

PHOENIX





Q. D. B. V.

I.

SI moderatori reipublicæ id danda est opera, ut opibus firma, copia locuples, gloria ampla, virtute honesta sit, præcipuam utique curam in eo ponere debet, ut alimentorum inopia civitas ne laboret. Hæc enim reliquorum omnium fundamentum consistunt, cum homines sine his vitam degere, & virtus ipsa, his deficientibus, exerceri non possit. Est utique in corpore nostro perpetua spirituum absumtio & instauratio, quæ virtute alimentorum, quæ in succum & sanguinem convertuntur, peragitur. Agnovit hoc ARISTOTELES, atque ideo inter ea, sine quibus civitas esse non potest, primum locum *alimentis* tribuit, VII. *Polit.* 8.

II. Alimentorum complectimur nomine, quicquid ad cibum, potumque pertinet. MELCHIORI SEBIZIO in *de alimentorum facultatibus L. I. c. 1.* describere placuit per corpus mixtum, a plantis & animalibus petitum, a facultate nutritiva per calorem immutatum, nostroque corpori assimilatum, ut reparetur id, quod est consumptum, quo vivens usque ad præscriptum a natura terminum conservetur. Ac cibos inter sine dubio præcellunt frumenta, unde panis conficitur, communissimus hominum victus; quibus accedunt olera, legumina, arborum fructus. Tum carnes quadrupedum, avium, piscium. Denique condi-

A 2

dimenta, quibus major cibus suavitas conciliatur; in quibus maxime necessarium sal est, minus necessaria aromata. Potum aqua ministrat; cui superadditum est vinum, cerevisia, mulsum, vinum adustum, lac, & similia quaedam alia, quæ ars & industria hominum adinvenit.

III. Prima igitur eorum, qui ad clavum Reipubl. sedent, cura esse debet, ut alimentorum omnis generis parabilis copia in civitate adsit: proxima, ut ubi natura, locusque favet, quæ abundant, mittantur ad alios populos, & cum eorum rebus, mercibusque commutentur, aut æquo pretio iis dividantur, aliaque in eorum locum apportentur, quibus civitas indigere videtur.

IV. Sæpe, ubi natura loci non respondet civium votis, solers ingenii inventio medium parandorum alimentorum suggerit, suppletque defectum. Sic Atticam *ἡ τὸ λεπτόγειον* seditionum immunem plus quam reliquas Græciæ partes ubertate soli gaudentes adauctam fuisse THUCYDIDES refert *I. Histor.* quod in his crebræ essent seditiones, frequentesque migrationes, nulla vero opera mercaturæ daretur; Athenienses vero propter soli sterilitatem inventioni artium, ac mercaturæ se dederint. Idem usu venit Venetiis, ac nostræ Norimbergæ. Unde non malè BODINUS observat, in *method. Histor.* quod, qui loca sterilia incolunt, in bello sint strenuè milites, in pace ingeniosi opifices, aut mercaturam exercent.

V. Quo citius autem neglectu agriculturæ deficiunt alimenta, fameque conficiuntur homines, hoc magis opera danda, ut ejus studium in Republ. floreat, quo, CICERONE teste, *I. de Offic.* nihil est melius, nihil uberius, nihil anticius, nihil homine libero dignius. Apud Romanos certe tantæ fuit dignationis, ut Imperatores ipsos non puderet, manibus triumphalibus colere agros, tractare semina, disponere arbusa, & eadem diligentia metiri arva, qua castra, eademque cura exercere ligones, & sarcula, qua gladios & bella. PLINIUS, XVIII. N. H. 3. Hinc apud eosdem agrum male colere Censorium probrum judicabatur. IDEM *ibid.*

VI. Sive

VI. Sive autem regio nostra ipsa tot proventibus nos
beet, quot ad commode alendam civitatem sufficiunt, sive ab
exteris terris ad nos advehantur, semper prospicere majestas
civilis debet, ne illorum inopia civitas laboret. Habebant id
propter Romani *Praefectum annonae*, cujus officium describit
CASSIODORUS, VI. *Varior.* 18. *Tui studii est, ut sacratissima*
urbi prepararetur annona, ubique redundet panis copia. Per officinas
pistorum, cibosque discurris; pensum & munditiam panis exigit.
Si querela panis, ut assoler, concitetur, tu promissor ubertatis seditiones
civicas momentanea satisfactione dissolis. Dignitati tuae pistorum
jura famulantur, sicarii quoque reperti tuo deputari videntur
examine. Triticeas quidem copias Praefectura praetoriana procurat,
Praefectus annonae dispensat, panes pondere examinat. Sed & apud
Gracos similis cura viguit, & adhuc apud Venetos, quorum
Senatus curanda annona plebis amorem redimit: neque enim
majorem annonae curam facile invenies. AD. CONZEN. VII.
Polit. 27.

VII. Habenda hunc in finem *horrea*, atque *granaria*,
in quibus frumenta & alia victui humano intervientia re-
ponantur, quibus sequentium annorum sterilitas corrigatur.
Horum quaedam olim erant subterranea, quaedam vero
supra terram aedificata, aërique exposita. Horreorum non
modo curatores erant sed praepositi etiam & comites. Prae-
vit hac in re reliquis gentibus viam JOSEPHUS, qui speciali
Numinis revelatione septem annorum sterilitatem edoctus
tantum frugum in horreis condidit quo non ab Aegyptiis tan-
tum, sed & a vicinis populis famem depellere potuit. GE-
NES. XLI. Romae horrea ad capiendum frumentum publicum
in quaque regione urbis plura erant, adeo, ut J. LIPSIUS I. E-
LECT. §. 8. numerum ex P. Victore inierit *ad trecenta & novem.*

VIII. *Curatores annonae*, qui annonam & pecuniam frum-
mentariam suscipiant, custodiantque, oportet eligi clari ge-
neris & locupletes, prudentes item, fideles, ac integritatis &
justitiae amantes, qui odio habeant rapinas ac turpe lucrum,
qui rerum expetendarum & fugiendarum satis sint periti, sic
ut

ut futura provideant, presentia disponant, & præterita memoria conservent. Ac hi quidem jurisjurandi religione obstringendi ad officium iuste administrandum. Apposito utique juramento cautior ac diligentior fit animus, & a duobus cavet, ne lædat socios, & ne peccet in Deum.

IX. Ubi vel negligentius habetur annonæ cura, vel ira Numinis hominum malitia offensi immittit sterilitatem, & egestatem frugum, ante omnia opera danda est, ut indignatio DEI per seriam penitentiam, CHRISTI merito nixam, precesque in publico & privato factas, avertatur, vitaque ad sanctiora instituta revocetur. Sic *Eliseus* Samaritanis abundantiam frugum loco famis suis ad DEUM precibus obtinuit. II. REG. 7. *Græci* quoque, a vero cultu alieni, consulentes de fame oraculum Delphicum, id tulere responsi: *nullum miserarum effugium esse, nisi ut Æacus pro ipsis Jovem rogaret*: unde montem ille conscendens, manibusque in caelum sublatis eum, ut Græciæ misereretur, exoravit. PAUSAN. in *Actici*, c. 44. & in *Corinthiacis*, c. 29.

X. Cæterum cum non ita pendendum sit a divina ope, ut nostrum propterea negligamus officium; nec ita fidentium humanæ industriæ ac viribus, ut auxilium Numinis insuper habeamus. humana quoque præsidia circumspicienda sunt. Non enim votis, neque supplicis muliebribus auxilia Numinis parantur. Vigilando, agendo prospere omnia cedunt. Ubi socordia tete atque ignavis tradideris, nequicquam DEUM implores: iratus, infestusque est. SALLUSTIUS, Bell. *Carilin.* c. 52. Quapropter si in civitate frumenta deficere incipiant, curandum, ut maturatione aliunde subvehantur. *Trajani* exemplo, qui affluentiam imprimis annonæ procurandam sibi putavit, & eum in finem auctoritate, consilio, fide, reclusit vias, portua patrefecit, itinera terris, litoribus mare, litora mari reddidit, diversasque gentes ita commercio miscuit, ut, quod genitum esset usquam, id apud omnes natum esse videretur. PLIN. US, *Panegy.* c. 32. Ubi illud præcipue partem laudis facit in optimo Imperatore, quod cum caelo quidem nunquam sit benignitas tanta, ut omnes simul terras uberet, foveatque, hic omnibus pariter, si non sterilitatem, at mala sterili-

sterilitatis exturbaverit; si non fecunditatem, ac bona fecunditatis importaverit. IBID.

XI. Succedat post illa cautio, ut frumentorum ad exteros exportandorum nemini fiat copia, aut vectigalia eorum augeantur adeo, ut dispendio deterriti homines quæstuosi ab negotiatione illa abstineant. Tum oppido necessarium est, ut pestilentissimum curculionum genus, dardanarii, pantopolæ, seplasiarii, qui multiplici fraude incendunt, excandesciunt, flagellant, vastant annonam, non legibus modo, sed pœnis, iisque gravissimis, coërceantur. Occursum eorum malitiæ in Romana Republ. per *l. annonam, D. de extraord. crim. effectumque est*, ut res frumentaria justo pretio venderetur & vilitas annonæ sit consecuta. Quam etiamnum integram observari Reipubl. maxime interest, ne in ipsius defectu homines necessitate coacti jus sibi ipsis dicere, & majora perpetrare facinora audeant, exemplo militum, quos Belisarius ad urbis Romæ tutelam reliquerat. Hi enim Cononem, Ducem suum, obruncarunt, crimini dantes, *quod frumentum, & ceteros commeatus cum maxima ipsorum jactura cõmeret simul, & venderet*, cujus facinoris pœnam Justinianus facile condonavit. PROCOPIUS III. *de Bell. Gotb.* Idem eadem de causâ Cinna accidit apud Romanos, & Pyandro apud Græcos, memorante PLUTARCHO, *in Parallel.*

XII. Quodsi pistores etiam, lanii, aliique, qui rem tractant annonariam, officium suum aut negligenter, aut nimis avare faciant, exteris, aut vicinis, invehendi sua, & in foro venum exponendi facultas concedatur: prima vero emendi copia civibus promiscue, usque ad certam horam, & dehinc negotiatoribus permittatur. Cum vero experientia comprobata abunde sit, hominum turpilucricupidorum avaritiam nec legum reverentia, nec metu suppliciorum satis in officio contineri, constituendi porro exploratores, custodesque sunt, qui legum annonarum temeratores observent assidui, puniendosque magistratibus deferant. *Sancta enim, FORSTNERI judicio, ad XII. Annal. Tac. p. 292. severitas est, quæ paucorum scelatorum supplicio omnium vitam conservat.* Ubi hæc non fuisse

suffecerit provisio, præmiis alliacendi sunt negotiatores, & vectigalium immunitate ad tempus donandi, ne in advehenda annona pigriores inveniantur.

XIII. Multum, imo plurimum conferre expellendæ penurix prudentem advectæ annonæ dispensationem, Romanorum exemplis jam pridem demonstravit J. LIPSIUS, in *Electis, & Admirandis*; & VINCENTIUS CONTARENUS, *peculiari libro*, quorum expilare scrinia animus non est. Illud tamen præterire non possumus, malitiosam annonæ retentionem, æque improbandam esse, ac avaram exportationem. Ut nulum nobis sit dubium, quin existente inopia publica possessores frumentorum cogi possint, ut excepto eo, quo ipsi egent, reliquum omne publice divendant. Ne vero iniqui admodum venditores sint in constituendo pretio, prudentis magistratus est, pretia rerum promercalium pro varietate temporum aliarumque circumstantiarum constituere: quod *Venætorum Republica & federatum Belgium* accurate observant. Dictum: pro varietate temporum, aliarumque circumstantiarum, constituendum esse rerum pretium. Hoc enim ubi neglectum fuerit, retinere sua, vel occultare, & commodioribus reservare occasionibus quisque malit, quam ad superiorum arbitrium vili vendere. Et licet inquisitio, & ad vendendum sua coactio profecerit aliquid apud cives; quis rusticam & suburbanam plebem compulerit in urbem, ut sua in foro venum exponat? Quin neglectum hujus moniti intendere magis caritatem, quam imminuere, *Juliani Imperatoris exemplo* observarunt SOCRATES, III, 15. & SOZOMENUS, V, 18. *Hist. Eccles.* Prudentius ea in re versatus est Tiberius, qui, plebe sævitiam annonæ inculante, statuit frumento *pretium*, quod *penderet emptor; binosque numos dixit de suo additurum negotiatoribus in singulos modios.* TACITUS, II, *Annal.* 87.

T A N T U M .

ULB Halle

001 507 494


3




TA-50L

VD 18







7889

19

1781 12

EX PRUDENTIA CIVILIS
De

CURA ANNONÆ

PRÆSIDE

CHRISTIANO Röhrenseem/

Phil. Pract. P.P. & Elect. Alumn.

Ephoro,

publice disputabit

M. AUGUSTUS MÜLLER,

Meurov. Sax.

Habeb. ad. d. XXX. Aprilis, clo L ccl.

In Auditorio Majori,

hor. matut.

WITTENBERGÆ,
Typis CHRISTIANI SCHROEDTERI, Acad. Typ.

